

1177

1994
A
1386





DISPUTATIO IVRIDICA
VIGESIMA OCTAVA,

De

EMPTIONE
ET VENDITIONE.

QVAM

Diuino fretus Auxilio,

PRÆSIDIBVS

Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &
Dn. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,
respectiuè Dictatore & Fisco.

In ICTorum agroasi publicè discutiendam proponit

IOANNES Mülegk / Norico - Francus.

Anno 1629. die 6. Sept.



28.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.



CONTINUATIO.



Nucleatis contractibus consensualibus, qui magis respiciunt personas, quam res, recto sequuntur ordine ij, qui magis res quam personas respiciunt *arg. l. 2. ff. de stat ho & §. ult inst. I. N. G. & Civil.* Quales sunt emptio & venditio, locatio & conductio. De hac in præsentiarum agere animus nobis non est: sed tantum materiam EMPTIONIS ET VENDITIONIS ad incudem iuridicam reuocac Lydiore, legum lapide examinandam exhibere ac probandam nunc libuit.

THESIS PRIMA.

Nominis tractatio prior esse debet, & ICctis nostris non est infrequēs nec suā destituitur vtilitate *arg. l. 1. ff. de I. & I. l. 1. ff. de reb. cred. & sim* Deriuationem quod attinet, in qua *iuxta Isidorum* licet coniecturare, volunt esse à Græco ἐμὼν, meum I Robert. lib. 1. animadu. cap. 8. Guil. Forster. p. 1. in A. D. 18. th. 1. quia in emptione potissimum ago, vt rem meam faciam l. 11. §. 2. ff. de act. empt. vend. Pacius tamen in Tr. de empt. & vend. axiom. 6. id ab emere deduci: Verbum autem simplex esse & merè latinum contendit. Venditionis vocabulum vulgo deducunt à venum & datio & vendare nihil aliud esse dicunt, quam facere, vt res ab vno veniat ad alium. Donell. lib. 13. comm. c. 1. Pac. d. axiom. 6.

2. Porro Emptionis vocabulum ambiguè & variè sumitur. Propriè pro ea contractus Emptionis Venditionis parte, qua pro re recipiendâ vnus cōtrahentium in certum pretium dandum consentit. Rubr. C. & Inst. h. t. & passim. Deinde pro toto illo contractu, qui emptio Venditio dicitur Rubr. l. 7. §. 1. l. 65. h. t. l. 1. §. ult. de pact. l. 7. §. 4. pro empt. l. vn. C. si seru. extran. se em. mand. Metaphoricè autè significat acquisitionem earum rerū, quæ non sunt in commercio, vt cum Horat. dicit 1. epist. 2. Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas. Metonymicè verò accipitur pro emptionis instrumento l. 2. C. que res pig. oblig. poss. vbi Gothof. 2.

3. Sic venditionis vocabulum. Propriè enim pro illâ contractus emptionis Venditionis parte, qua pro pretio recipiendo vnus contrahentium in certam mercem tradendam consentit. Deindè pro toto Emptionis Venditionis contractu l. 2. §. 1. l. 7. §. ult. l. 8. pr. & §. 1. h. t. promiscuè enim veteres in emptione venditioneque appellationibus vsi sunt l. 19. de act. empt. Donell. lib. 13. comm. c. 1. ibique Hillig. lit. C. Mozz de empt. & vend. col. 1. n. 7. Hinc est, quod in l. 57. pr. h. t. emptor venditionem implere dicatur, quam propriè

venditor implet. l. 46. de act. empt. l. 4. C. eod. Metaphoricè autem pro earum rerum alienatione, quæ in commercio non sunt. Sic apud Plaut. in Trinum. act. 3. nam ego talentum mutuum quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum videndi.

4. Insuper Emptionis & Venditionis nomen tam latè quidam accipiunt, quasi eo omnis alienatio, de l. 12. tabul significetur, quod tamen ad rationes puris examinatum verū esse nequit. Dn. Ludvvell. in not. M S S. ad V Venf. n. 1.

5. Reuera planè diuersæ sunt res. Emptio & Venditio, estque aliud emere, aliud vendere: alius emptor, alius venditor l. 1. §. 1. in fin. ff. h. t. l. 1. in pr. ff. de permut. Cuiac. 9. O. 15. & per Mercator. in not. ad Animadu. Robert. l. 1. cap. 8. ob necessariam tamen harum rerum coniunctionem & relatorum, quorum alterum sine altero esse non potest per l. fin. ff. de accept. Vbi Goth. in not. l. 1. C. de cupres. ex luc. Delphin. fit, vt sicuti Emptionis, ita & Venditionis vocabulum separatim totum contractum significet. Donell. d. c. 1. quem sequitur Bach. in not. ad Treutl. d. sp. 28. th. 1. lit. A idque quando contractus formatus iam est: non idem quando formatur Moz. d. col. 1. n. 7.

6. His præmissis expedit vt essentiam siue definitionem huius contractus aggrediamur. Definiri autem Emptio Venditio potest: Contractus solo consensu initus de re certo pretio habenda Vultei. lib. 1. iur. sp. Rom. c. 35. n. 4. Bocer. clas. 1. D. 4. th. 8. Pac d. tr. axiom. 7.

7. Vnde ad diuisionem descendamus. Diuisiones verò Emptionis Venditionis variæ traduntur. Olim alia erat naturalis siue iurisgentium, de qua nobis hic sermo: alia ciuilis, quæ Mancipatio vocabatur, de qua Vlpian. in frgm. tit. 19. §. 2. Sed hæc in desuetudinem abiit Pac. d. Tr. axiom. 19. Alia Emptio Venditio fit publicè & sub hæc hæc fiscali, de qua ex professo tit. C. de fid. & iure hæc hæc fisc. alia priuatim de qua maximè hoc loco.

8. Definitione & diuisionibus excussis, causas indagabimus. Efficientes huius contractus duæ sunt: quarum vna remota: altera proxima.

9. Remota est iusgentium l. 1. §. vlt. ff. de contrah. empt. l. 5. ff. de I. & I. §. 3. inst. de I. N. G. & Ciuil. Origine namque eius à permutatione coepit, cum enim incognitus erat nummus, coeperunt homines mercari sine nummis, dabat vnus alteri ouem pro frumento, & alius de labore suo panem vel lanam, & sic de alijs rebus: quod adhuc longo tempore postea fuit institutum, vt narrat Iustinus. Sed tamen in huiusmodi permutatione & transportatione rerum, multæ acciderunt difficultates. Electa est igitur materia, cuius publica & perpetua æstimatio, vt inquit Iustus in l. 1. ff. de contra. empt. difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subueniret, nummus scil. d. l. 1. qui inde sponsor futuræ indigentia appellatur ab Arist. Eth. 5.

10. Et hinc quoque cum B. chou. in not. ad Treutl. Diss. 38. lit. D. concludimus, nummum esse iusgentium per d. l. 1. & quia vel duobus millibus annorum ante Romanorum Remp. populisignato vsi sunt argento, vt Couar. de vet. num. coll. c. 1. è Polyd. Virgil. demonstrat, accedit text. Gen. 23. Etiam quo ad certas metallorum species d. l. 1.

II. Pro

11. Proxima est consensus, scilicet utriusque partis *arg. l. 2. §. 2. ff. de pact.* Hæc est præcipua & essentialis Emptionis Venditionis pars, qua deficiente, illa perfecta non solum dici non potest, sed etiam omnino nulla est. Hinc *Vlp. in l. 9. ff. de contrah. empt.* consensum vult intercedere & *Paulus in l. 1. §. ult. ff. eod.* rationem affert quia est iurisgentium. Si ergo generaliter in omnibus iurisgentium contractibus consensus interuenire debet, quidni in emptione specialiter.

12. Sequens igitur erit ut dispiciamus, qui nam hunc consensum efficaciter adhibeant, vel qui non. Sicut enim non omnes homines ad generandum sunt habiles, sed quidem hoc vel illo impedimento impediuntur, ita & hic fit.

13. Primum obstaculum ætas præbet, hominum enim alij maiores, alij minores dicuntur *t. t. ff. de minor. t. t. C. si min. se maior. dix. t. t. C. si ma. fact. rat. habuerit t. t. ff. C. ex quib. caus. mai. in integr.* Minorum alij sunt puberes alij impuberes. *pr. Inst. quib. mod. tut. fin. pr. Inst. de Curat.* Impuberum alij sunt alij infantibus maiores, hi que vel infantia vel pubertati proximi *§. 9. inst. infantes, de util. stip. l. 10. ff. de R. I. §. pen. Inst. de oblig. ex delict. l. 23. ff. de furt.*

14. Infantes quasi fandi impotes intelliguntur, qui septem annis minores sunt *l. 18 C. de iure del. b. l. 1. §. 2. ff. de administrat. tut.* Et hi hunc contractum celebrare non possunt, quia nullum habent contrahendi affectum, imo ne sensum quidem, nedum consensum *§. pupillus v. sed quod. stip. Inst. de inutil. l. 1. §. 1. 13. de O. & A.* Etiam si accedat tutorum autoritas *arg. l. 2. C. qui admitt. ad bon. poss. l. 9. ff. de acquir. hered. l. 3. C. de acquir. poss.* Aliud tamen est si per tutores hoc fiat, id est si tutores nomine pupillorum rem emunt, hoc casu enim pupillis actio quaeritur, imo etiam si suo nomine, sed pecunia pupillorum emerint, res pupillis acquiritur & utilis ipsis datur vindicatio *l. 2. ff. quando ex facto.*

15. Infantibus maiores sunt, qui intra septimum & duodecimum, si feminae sint, vel annum septimum & decimum quartum, si masculi sint, consistunt.

16 proximus autem infantia est, qui infantiam iam est egressus: nullus enim terminus dari potest, qui antecedit infantiam: & igitur nullo alio sensu dici possunt infantia proximi, quam quod infantiam egressi sunt *Bachou. in comm. Instit. ad §. pupillus. de inutil. stipul.* Proximus vero pubertati dicitur, qui necdum est pubes, sed prope abest à pubertate, cæteroque amplius non esset pupillus.

17. Posteriores hi cum autoritate tutorum recte contrahunt, ex benigna scilicet iuris interpretatione *§. 9. hist. de inutil. stipul. l. 6. ff. rem pupill. salu. for. l. 1. §. 13. ff. de O. & A.* quâ hi intellectu & consilio non omnino præsumuntur carere, adeoque iure civili tenentur *d. loc. & Bach. d. §. pupillus. Inst. de inutil. stip.*

18. Sine tutoris autem autoritate si contrahant naturaliter tantum ob-

ligantur l. 35. ff. de recept. arbitr. Arume. ex Inst. 3. th. 13. nam si locupletiores facti sint, tunc enim non naturaliter tantum, sed quoque ciuilitex ex D. Pij rescripto obligantur l. 3. §. 4. l. 6. l. 3. ff. de negot. gest. l. 9 ff. de Inst. act. l. 1. §. 15. ff. Depositi. l. 5. ff. de Auct. tut. l. in princ. & §. 3. ff. de contrar. tut. act. Mar. Lycklama Membran. lib. 6. eclog. 19. §. 1. idem est si ex re veniat obligatio l. 46. de O. & A.

19. Minores, curatorem quoque habentes, sine curatore suo obligantur. Vultei. 1. disc. 16. Henr. à Suerin. rep. lect. c. 41. Phil. Matth. ad l. 2. §. 1. de R. I. num. 15. & seqq. adde tamen p. th. præcedentem & mutatis mutandis huc applica.

20. Pupillis scilicet infantibus furiosi comparantur l. 60. ff. de R. V. l. 2. ff. de cond. & furt. & simil. Sed secundum quid d. §. 9. Inst. de inutil. stipul. Hi enim planè non contrahunt nec vnquam, quamdiu scil. mentis manent impotes. l. 1. §. furiosum. ff. de O. & A. §. 8. Instit. de inutil. stip. quibus addantur muti & surdi simul natura Obrech. d. sp. 1 de donat. th. 59. In aduersa quoque valetudine mente capti eo tempore, quo tales sunt. arg. l. 17. qui test. fac. poss. Gædd. de contrah. stip. c. 7. n. 92. & mult. seqq.

21. Ebrius quoque cui merum abstulit intellectum c. venter 35. disti. in dique exilium mentis patitur, emere, vendere nequit c. sanè 5. q. 1. Prodigus, l. 10. pr. de curat. furios. l. 6. de V. O. arg. l. 40. de R. I. cui similis est Ebriosus cui ἀσωτία adscribit D. Paul. Ephes. 5. v. 18. quo nomine prodigorum vitium propriè appellatur non modò ab Aristot. 4. Eth. 1. alijs. Sed etiam à Græcis ICTIS. Huc facit l. 12. §. 2. tut. & curat. dat.

22. Alij deinde ciuili prohibentur ratione vt tutor cum pupillo l. 31. §. fin. ff. de contr. empt. nisi contutor adsit vel palam & bonâ contrahatur fide. l. 5. §. 2. & 4. de Author. tut. l. 5. C. eod. Item pater cum filio l. 2. ff. de contr. empt. quia pater sibi ipsi, quod filius haberet, acciperet §. 1. Inst. per quas person. nisi in bonis castrantibus l. 3. prin. ff. de contrah. empt. cum in his filius fam. pro patrefam. habeatur l. 2. de Sit. Maced. Quod hodie ob eandem rationem etiam de alijs bonis filiorum fam. dici posse videtur, quorum vsus fructus patri non acquiritur fac. l. vlt. §. 5. vers. filius autem fam. C. de bon. qua lib. Hackelman. p. 3. Pand. disp. 12. th. 6. Pac. de empt. vend. axiom. 76.

23. Porrò tam vrbici quam prouinciales Magistratus res tum mobiles tum immobiles emere vetuntur l. vn. pr. C. de contr. iud. durante scilicet officio Mozz. de empt. & vend. tit. de person. qua emere poss. n. 7. ne forte officij sui potestate freti eiusmodi venditionem per vim & concussionem extorqueant Cuiac. lib. 16. O. 13. & in recit. ad l. 46. h. t. Verum quia hodiè officia sunt perpetua, à moribus nostris ista recessit prohibitio.

24. Ad euitandum quoque suspicionem, emere vendere sibi inuicem non possunt aduocatus & cliens durante lite l. 6. §. 2. C. de postul. Medicus & ægrotus durante morbo arg. l. 9. C. de profess. & med. Fach. lib. 2. contr. 25. Pac. axiom. 83.

25. Cum

25. Cum autem solo consensu iste perficiatur contractus *vt sup. th. 77. dict.* redeundum ergo est ad expositionem consensus. Debet igitur consensus ille in negotium præsens, non futurum conceptus esse: alias namque res in nudi pacti terminis subsistet: neque iure ciuili vilius effectus erit: cum aliud sit vendere, aliud promittere de vendendo. *Vult. l. b. i. Jurispr. Rom. c. 35. n. 46. & 57. Tiraquel. de Retr. Lig. §. 1. gl. 2. n. 56. Freutb. vol. 1. disp. 28. thes. 7. lit. A.*

26. Quid igitur? Si quis in populari nostrâ dicat linguâ: *Jch will es also kauffen/* vel *ich wil es also annemmen/* & venditor respondeat. *Jch wil es dir also lassen/* an per verbum volo *ich will/* in contractum præsentem consensisse videntur? Sic putamus. Cum enim vix alijs verbis contractus iste nostrate celebretur sermone, meritò iuxta communem loquendi consuetudinem hæc de consensu præsentis accipi poterunt. *l. 7. §. 1. de supell. leg. gloss. in l. 13. C. b. t. Fabian. de monte S. Sab. qu. pr. 5. n. 51.*

27. Deinde consensus iste liber esse debet primo à metu, si enim hic causam dederit contractui, contractus ipso iure est nullus *l. 1. C. de rescind. vend. l. 27. §. 3. ff. quod met. caus. l. 116. ff. de R. I. metus verò incidens facit vt contractus quidem subsistat, sed ob partis petitionem rescindatur t. t. ff. & C. quod met. caus. Eadem de dolo causam contractui dante d. l. 7. §. 3. l. 13. §. 4. ff. de act. empt. repetita volo.*

28. Perspicuus quoque non obscurus, nisi is in cuius potestate erat legem apertius dicere, interpretationem contra se fieri velit. *l. 37. ff. de pact. l. 21. & 23 ff. de contr. empt.*

29. Præterea solus contrahentium consensus sufficit, nec requiritur etiam propinquorum ac consortium *l. 14. C. de contr. empt. improbatum enim LL. Rom. ius retractus (nostro idiomate Vorkauff / Einstand / Nohergeltung) l. alleg. Duar. h. t. c. 4. quo fuse Tiraquel. in præfat. l. de retr. lign. Quia impedit de re sua disponendi libertatem. Timor enim retractus animos licitantium minuit, pretia infringit, ait Curt. 2. Coni. ad fr. 15. Sed tamen hodie per statutum vel pactum aliorum quoque interdum requiritur consensus.*

30. Vtrum vero præsentis sint an absentes, qui emunt & vendunt, parum refert: sufficit enim, si vel per nuntium, aut literas suum declarent consensum *l. 1. §. vlt. b. t. l. vlt. si quis alt. vel. sib. §. 2. Inst. de ob. ex consens. l. 2. §. 2. ff. de O. & A. P. fac l. 2. pr. de pact.*

31. Porro consensus hic circa duo versatur, rem seu mercem & pretium, vnde Dd. contractus huius tria solent constituere substantialia seu essentialia. Consensum, mercem & pretium, de his duobus igitur etiam pauca pro instituto proponenda sunt.

32. Mercis appellatio monente Pacio de Empt. *Vend. ax. 3. & Gædd. ad l. 66. ff. de V. S. νατ' ἕξοχην* & per synechdochen speciei, pro qualibet re que emi vendi potest hic sumitur, alioquin passim & indistinctè non merx sed res dicitur *l. 8. l. 34. §. omnium l. 36. de contr. empt.*

33. Res

33. Res omnis potest emi, quæ est in commercio hominum *d. l. 34. §. 1.* quæ autem sunt in commercio hominum patet, si notæ sunt quæ exemptæ sunt §. 1. *Inst. de his qui sui vel al. iur. sunt.*

34. Eximuntur autem quædam naturâ, quædam iure.

35. Naturâ: ut hæreditas eius, qui vivit, aut qui nullus est, siue nunquam fuit *l. 1. l. 7. de hered. vel act. vend. ibique Gothofr. fac. l. vlt. C. de pact.* Res quoque quæ ante venditionem in rerum natura esse desijt *l. 15. pr. h. t.* Item res quæ in rerum natura non sunt, nec fore sperantur *l. 77. ff. h. t.* Quid iuris sit in domo ante venditionem combusta *vid. l. 57. ff. h. t. Ad. Colleg. Argent. lib. 18. tit. 1. th. 72.*

36. Iure eximuntur Sacerdotium *Nou. 6. c. 1. §. 9.* Magistratus *Nou. 8. c. 7. Moz. de empt. & vend. tit. de reb. que emi & vendi poss. Melch. Innius quæst. polit. 1.* Dignitates aliæ, easque inter Nobilitas quoque: cum nihil magis sordidum sit, quàm interuentu pecuniæ sine vlla virtutis & fortitudinis in præstantisque meriti commendatione, Nobilitatis insignia non tam dari, quam prostitui *Bodin. lib. 3. de Rep. c. 8. Tiraquel de Nobilit. c. 7. n. 14.*

37. Exemptæ quoque res sunt sacræ & religiosæ *l. 6. pr. 22. 24. Si. ff. de contrah. empt. & arg. §. 7. Inst. de R. D. l. 21. C. de SS. eccles.* quibus annumerantur Martyres siue reliquæ Sanctorum *l. 3. C. de SS. eccles. & locus ædis sacræ terræ motu dirutæ l. 73. pr. de contrah. empt.* quippe qui profanus non est *l. 6. §. 3. de diu. rer.* Res publicæ & vniuersitatis §. 1. *Inst. de inutil. stip. §. vniuersitatis Inst. de R. D.* Hæ tamen cum requisitis solemnitatibus vendantur *l. fin. C. de vend. reb. ciuit.*

38. Sic prohibentur res furtiux & vi possessæ §. 2. *Inst. de vsucap. l. 34. §. 3. ff. de contrah. empt. vbi vide distinct.* hanc dominus sine pretij refusione recipit *l. 2. C. de furt.* quam legem non puto locum habere, si quis bona fide à latrone vel prædone rem comparauit *l. 6. ff. de capt. & postlim.*

39. Nemo quoque rem suam rectè emit *l. 16. ff. de contr. empt. l. 4. C. eod. l. 37. ff. de condict. indeb.* meum enim amplius meum fieri nequit. §. sic. itaque, *Inst. de act. Nec litigiosam l. 1. §. 1. ff. de litigios. l. 1. §. fin. ff. quæ res ping. l. 2. §. fin. & Auth. C. de litig. nisi alienatio esset necessaria d. l. fin. l. 69. §. 1. ff. de leg. 2.*

40. Sic quoque eximuntur res immobiles dotales ut & propter nuptias mulieri donatæ, ne quidem illâ in alienationem consentiente *pr. Instit. quib. alien. lic. vel non l. vnic. §. 15. C. de rei vxor. act. Nou. 61. c. 1. §. 3. in fin.* Res feudales, sine consensu domini *c. 1. de prohib. feud. alien. per feud. c. vnic. de prob. feud. alien. per Loth.* eodem modo resemphiteuticæ *l. fin. C. de iur. emphit. subiectæ restitutioni l. fin. §. 2. Commun. de leg. nisi certis casibus arg. Auth. res quas C. eod. Venena mala l. 35. §. veneni ff. de contr. empt. l. 3. ff. ad leg. Cornel. de sic.* Res minorum furiosorum & prodigorum aliter non venduntur quam certis à lege modis præscriptis *t. t. C. de præd. minor.*

41. Sunt res quæ certarum personarum respectu exemptæ sunt, ut purpura

pura & sericum priuatis *l. 1. C. qua res vend. non poss. l. 1. C. de vestib. arma ac*
nonnulæ res aliæ, de his vid. *t. t. C. qua rei vend. non poss. & Hug. Groti.*
de iur. ac. pac. lib. 3. n. 5. Sic licet olim lege 12 tab liberi potuerint à paren-
tibus distrahi, hodie tamen id, excepto egestatis casu, prohibuit *t. t. C. de*
pac. qui suos lib. distrax. Sic Eunuchi & Spadones *t. t. C. de Eunuch.*

42. His nunc & si quæ similia reperiuntur exceptis, omnes res in contra-
ctum deducuntur, siue mobiles siue immobiles sint, siue corporales, siue in-
corporales vt nomina & actiones etiam debitoribus inuitis & ignorantibus
l. 3. C. de hered. & act. vend. modo fiat ante litis contestationem *arg. t. t.*
. C. de litig. Mynsig. 1. O. 55. VVesenb. in. pa. de hered. vel act. vend. n. 6. & non
in potentiolem alientur *l. 2. ne lic. potent.* ius quoque crediti sit certum &
liquidum *l. 22. C. mand.* Vbi tamen notandum, si nomen fuerit minori pretio
venditum, licet in quod superest, donetur, tamen emptor à debitore plus
exigere nequeat. *l. 23. C. mand.*

43. Etiam res aliena *l. 28. ff. de contr. empt.* nam qui vedit non habet ne-
cesse, vt rem emptoris faciat, sed tantum habere licere præstare tenetur
(si tamen verus est dominus dominium tradere compellitur) *l. 25. §. fin.*
ff. de contr. empt. l. 35. ff. de act. empt. Transfert hoc casu vsucapiendi
conditionem in emptorem; ipse venditor vero de euictione tenetur *d. l. 28.*
de qua infra. Et quamuis vero domino nihil de iure suo detrahat, vel ipsi
præiudicet *l. 6. C. de reb. alien. l. 9. C. de R. V.* ipse tamen venditor contra-
ctui stare tenetur, nec prætextu rei alienæ venditæ poterit contrauenire,
allegaret enim propriam turpitudinem *l. 42. ff. de vsucap.* requiritur ergo vt
vterque contrahens, vel saltem emptor non ignoret rem esse alienam *t. t.*
C. de reb. alien.

44. Rebus autem ita venditis, etiam illa quæ rei coherent vendita in-
telliguntur, sed quæ tempore contractus cohærēt, non quæ postea accedunt
l. 73. l. 67. l. 76. ff. de contr. empt. l. 13 §. fin. cum ll. seqq. ff. de act. empt.

45. Spes quoque vt loquuntur Dd. & quasi alea cuiusdam emi vendi
potest: Sic futuri retis iactum: sic indaginem plagis positis: sic nondum ca-
ptas aues: sic missilia rectè emimus, Adeo vt etiam si nihil obuenerit, em-
ptio subsistat tamen *l. 11. §. vlt. in fi. l. 12. ff. de act. l. 7. l. 11. ff. de hered. vel act.*
empt. l. 8. §. 1. de contr. empt.

46. Emptionem quoque annuorum nostra permittunt iura, si modo re-
ditus non excedant legitimum vsurarum modum *Confer. polit. de anno 1548. t.*
Don wucherlichen Contracten Geil. lib. 2. Obser. 5. n. 10. & Obser. 7. & 2. seqq. Sic
non sceneratitium, sed verum hunc ac genuinum emptionis contractum esse
dicendum *Couar. 3. Var. resol. 7. Fachin. 8. contr. 2.*

47. Non tantum autem res singulares, sed etiam vniuersales vendi pos-
sunt vt hæreditas *t. t. de act. vel hered. vend.* territoria & prouinciæ in qua vè-
ditione transferuntur res, quæ alias solæ transferri nequeunt *l. 62. ff. de ac-*
quir. rer. dom. Hæreditate venditâ id tacitè actum esse videtur, vt non plus

B

nec

nec minus emptor habeat, quam hæres in id tempus, quo hæreditas venit, unde ius accrescendi emptori competere negamus. Vide *V. V. senb. π. de hæred. vel act. vend. Ioh. Sueno lib. 2. de iur. accresc. Marc. Epi. k'lam lib. 6. eclog.* 9. Est quoq; in hac emptione Iuris, quod venditor nõ teneatur de rerum singularum euictione, *l. 2. ff. de hæred. vel act. vend. l. 1. C. de euict.*

48. Porro res quæ venditur certa esse debet, vel consensus circa rem planus & certus, vt sit, necesse est. Vnde, quia error excludit consensum, *l. 15. de Iurisd.* ratione erroris emptio non subsistet. Est autem error vel in nomine, vel re ipsa.

49. Si in nomine solo est: contractus non impeditur, *l. 9. §. 1. ff. de contr. empt.* nomen enim rei substantiam non constituit nec immutat, *l. 80. ff. de iud.* & hoc est regulare quod error nominis actum non vitiet, *§. si quid in nomine. Inst. de leg.*

50. Si error est circa rem ipsam distinguitur, an in ipso corpore vel in eius substantia, id est, substantiali committatur qualitate, ille est inter plures res, hic in vna, ille contractum impedit, vt si putem me emere Cornelianum, tu vero vendere Sempronianum, *d. l. 9. pr.* hic verò non, veluti si acetum pro vino vaneat, *d. l. 9. §. 1.*

51. Idem non obtinet si in corpore quidem sit consensus, in substantia verò seu materia rei (vt quæ toto genere est diuersa, puta si æs pro auro vendatur) sit erratum *d. l. 9. §. 2.* Aliud verò obtinet: & valet hæc venditio, si materia non omninò sit diuersa, sed non adeò bona tantum, vel etiam ex diuersis materijs corpus sit conflatum, *l. 11. ff. de contrah. empt.* Venditor tamẽ decepto emptori tenebitur, iuxta *l. 21. §. 3. ff. de act. empt. Lycklam. lib. 2. eclog. 13.*

52. De rebus verò quæ pondere, numero, mensura constant si contractus ineatur, imprimis erit respiciendum ad consuetudinem & morem regionis, *l. 71. ff. h. t.* vbi habetur, quod mensuris & pondere pro voluntate vti possint contrahentes, nisi consuetudo prohibeat. Vinum ergo quod certo pretio ad quantitatem emitur, emptum non censetur, nisi gustatum & admensum sit, *l. 3. §. in his ff. h. t.* ita & de reliquis rebus.

53. Et hæc pro instituto de re seu merce, sequitur a' terum circa quod consensus occupatur, nẽpe pretiũ Græcè τιμή quod dictũ vult, *Varro lib. 4. de ling. Lat. à peritis,* quod hi solum rectè id constituere possint, vtpute qui veram rerum æstimationem noriunt. Vnde & *Seneca epist. 82.* Vni sapienti notum esse ait, quanti res queq; taxanda sit. *Lucill. apud Lætant.* Virtus est pretium rebus persolvere verum. Sed hoc Philosophicum magis & Stoicum, quàm Iuridicum est.

54. Nomen pretij analogum est in iure & pro mercede sumitur, *l. 28. §. 1. l. 51. §. locauit. l. 58. ff. locat.* Item pro præmio, *in l. 2. §. & generaliter. ff. vi bon. rapt.* propriè verò in emptionis contractu pro pecuniã numerata, certã tamen & taxatã accipitur *l. 3. in fin. C. de inut. stip. iuncta l. 4. §. 2. de in lit. iur. §. pretium. Inst. de empt.* Vnde cum in dubio analogum stet in significato potior

tiori *Da in l. 1. ff. si ager. vect.* Vbicunque fit mentio pretij, tunc emptionis contractus quam alius præsumitur *l. fin. C. de prad. decur. ibique gloss. & Da. Tiraq. de retract. lignag. §. 1. gl. 2. n. verb. 4. Vendit.*

55. Certam debere diximus esse pecuniam in qua pretium constituatur. Certum autem est de quo constat, quid, quale, quantumque sit. *l. 74. de V. O.* Prius huc non magnopere pertinet, aut enim incidit, in quale, aut in quantum, ex utroque igitur explicandum. De duobus posterioribus ut subiiciamus, methodi postulat ratio. Et itaque videbimus quidnam cum in quantitate tum in qualitate pretij pecuniæ obtineat.

56. Quod quantitatem attinet palam est vnum nummum hic non sufficere per *l. 55. ff. h. t. iunct. 46. ff. locat. l. 10. §. fin. ff. de acquir. vel amit. poss.* Quod intellige, si res pluris valeat, ut si ædificium aliquod vel fundus vendatur; sin res pluris communiter non ematur, contractum hunc subsistere non dubitamus *Heig. ad §. pretium h. t. n. 5. Mozz. de E. V. tit. de subst. empt. num. 22. Aruma exer. c. 7 si Inst. 14. th. 1.*

57. Quid vero si pretium & res simul pro merce dentur, an emptionem & venditionem contractam dicemus? Cum indubio versemur, considerandum, vtrum res præualeat, an pretium *arg. l. 27. pr. ff. de A. R. D. & tum accessorium sequetur principale.* Si autem id non appareat, contractus innominatus erit per *l. 1. ff. de estimat. act. Gomez. 2. variar. resol. 2. n. 10. Schneid. ad §. item pretium n. 6. seqq. Inst. h. t. Pinell. in Rubr. C. de resc. vend. p. 2. c. 2.*

58. Ex quo infertur extra præfatum casum aliquam pecuniæ summam interuenire debere. Eamque numerantam *l. 9. C. de contr. empt. §. 2. Inst. eod.* Quod summe notandum. Cum n. pecuniæ generalis significatio ad omnes res referatur, quæ in patrimonio sunt *l. 5. ff. de V. S.* Idque ex origine vocis, quæ à pecude ducitur, quia tota veterum substantia ac totum eorum patrimonium in pecudibus repositum erat, omniaque necessaria, fundos, domos esculenta, poculenta pecudibus sibi comparabant, iisdem redimebant. *Comella in præfat. lib. 6. Alciat. in l. pecunia de V. S. ideò oppositione hac ea restringenda fuit. l. Iulianus §. mutui ff. ad SC. Maced. l. si suis §. pignori ff. de reb. cred.*

59. Monendi tamen sumus per pecuniam numeratam non intelligi presentem: aut eam quæ statim numerari debeat, sed numerandam: per enallagen scil. Atticam de qua vide *Val. Guil. Forst. 1. Obser. 3. ibique alleg. h. e.* non demonstratur per phrasin hanc actus: sed potius qualitas & potentia numerandi, appendendi aut soluendi. Enimvero designatio rei & pretij taxatio consensu vtriusque facta hunc perficit contractum *l. 8. ff. de peric. & comm. rei vend.* traditio vero & pretij solutio ad consummationem pertinet *l. 11. §. & in primis ff. de act. empt. l. si duo §. si quis ff. de iureiur. l. 1. ff. de rer. permut.* illa causa est, hæc vero illius effectus.

60. Sufficit ergo pretium in pecunia numerata determinari *§. 2. inst. h. t. l. 1. ff. & l. 9. C. eod.* Idque ab initio huius contractus *Mozz. col. de subst. Heig.*

ad d. §. 2. Inst. h. t. n. 4. Hillig. in Donell. enucl. 13. Com. 1. lit. K Nam postmodum venditore consentiente in alia etiam re, veluti in frumento, vino &c. solutio fieri potest. *l. 9. C. de resc. vend.*

61. Determinatio autem hæc, vt iam supra innuimus debet esse certa h. e. expressa & nominata. Exprimunt autem contrahentes pretium vel simpliciter, vel per relationem ad aliud. Simpliciter & palam si illud expressè à contrahentibus constitutum sit: per relationem, si vel ad quantitatem ante determinatam referatur v. g. quanti tu eam emisti, aut quantum pretij in arca habeo *l. 7. §. 1. l. 37. ff. de contrah. empt.* Vel si in arbitrio certi alicuius tertij determinandum relinquatur, quo planè non arbitrante contractus corruiat tanquam sub conditione factus *l. fin. C. de contr. empt. §. 1. Instit. de empt. ibique Schneid. n. 2. & Bach. ad dictum §. 1. iniquum autem arbitrante reductio fit ad arbitrium boni viri. l. 30. ff. de oper. libert.*

62. Ita tamen demum hoc verum puto: si arbitrator pretium definierit minus quam pro dimidia iusti ac veri pretij parte: Quæritur hic an vnus etiam contrahentium arbitrio pretij qualitas possit permitti? veluti si venditor dicat. Quanti velis, quanti æquum putaueris, quanti æstimaueris, habebis emptum. Et ait Caius *l. 35. §. 1. ff. de contr. empt.* imperfectum esse tale negotium. Donellus tamen ait valere emptionem *per l. 7. ff. h. t.* quæ quomodo huc faciat non video.

63. In arbitrium ergo alterius contrahentis, vt emptoris pretium collatum nihil efficit, nec erit emptio venditio *l. 13. C. de contr. empt.* nulla enim est obligatio, quæ à voluntate obligandi dependet *l. 108 §. 1. ff. de V. O. l. 24. ff. locat.*

64. Denique ad quantitatem non ineptè & illa refertur quæstio, an emptio contracta sit, si venditor putauit minus pretium, emptor vero maius, vt ita dicam, materia vel numero, an verò quasi ob dissensum sit nulla. Prius putamus *arg. l. 52. ff. locat. l. 1. §. 2. ff. de V. O.*

65. Satis de quantitate. Cum verò non sufficiat ad hoc, vt emptio perfecta euadat pretium in numerata constituisse pecunia, sed simul etiam de qualitate seu materiæ bonitate. Nostratibus *Ob das gelt gang vund gebe sey* non raro incidat quæstionis, ideo de hac non nulla breuiter subnectemus.

66. Et principio notandum eam ab arbitrio contrahentium non pendere. Cum enim publica sit materia, formaque notata publica ex communi gentium consensu *l. 1. h. t.* nummus etiam erit aut publicus aut iurisdictionis, atque adeo extra priuatorum commercium *l. ius publicum. ff. de pact.*

67. Electa autem sunt aurum, argentum & æs. Oportet enim, vt ait Nicol. Oresm. in Orig. & iur. nec non de mut. Monet. c. 2. numisma fieri de materia pretiosa & cara. cuiusmodi est aurum. Sed talis materia debet esse in comperenti abundantia, propter quod vbi aurum non sufficeret, moneta fit cum hoc de argento: vbi autem ista duo metalla non sufficerent, vel non haberentur, debet fieri mixtio, aut simplex moneta de alio puro metallo sicut antiquitus fiebat ex ære vt narrat Ouid. 1. Fast. dicens. Aera

Aera dabant olim melius, nunc omen in auro est,

Victaque concessit prisca moneta noua. Confer Esai 60. v. 17.

68. Nummus igitur iurisdictionum est, quo ad materiam & formam illius, ergo rationem in contractibus habendam omnino puto, si enim mercis & nummi debet esse æqualitas, seu paritas, certè & materiam & valoris instituenda quoque erit commensuratio *arg. l. 1. ff. de contr. empt. l. 1. C. de vet. num. sm. pat. Nou. Leon. 52.*

69. Hinc concludimus pretium soluendum esse in moneta, secundum bonitatem intrinsecam, quæ fuit tempore contractus initi, si forsitan illa post mutata fuerit *cum Natta in cons. 302. & 454. Pinell. ad l. 2. C. de resc. vend. in 1. pr. Rubr. c. 3. n. 23. Cognol. ad l. 2. C. de pact. int. empt. & vend.* Per bonitatem intrinsecam iuxta communem Dd. penè per 300 annos vsurpatam locutionem nihil intelligo aliud quam materiam nummi. Non ignarus à Neotericorum quibusdam connotationes has inuerti & materiam extrinsecam, valorem verò intrinsecam malint appellari bonitatem. Quod omnino improbandum non est, quatenus valorem quoque intrinsecam bonitatem vocant.

70. Qualis sit consensus circa contractus substantiã vidimus, qui etiam ob emptionem allegante talis probari debet, hinc neque testibus, neque instrumentis credimus, vbi de quantitate pretij nihil deponitur vel probatur *Fachin. lib. 2. contr. 33.*

71. Porro hoc modo consensu legitimè interueniente statim emptionem perfectam esse dicemus *pr. Inst. de empt.* nisi aliud contrahentibus placuerit, quod accidit quando sub conditione contrahere voluerunt: Tunc demum perfecta est, si conditio existit *l. 7. ff. de contr. empt.* Si enim conditio deficit tunc nulla est *l. 17. h. t.*

72. Idemque est si in scriptura contractum celebrare placuerit, tunc enim perfecta non erit, nisi instrumentum completum fuerit & omnibus suis numeris absolutum *§. sed hac Inst. de empt. l. 17. C. de instrum.*

73. Contractu autem hoc perfecto commodum & periculum rei venditæ, non tantum traditæ *l. Lucius ff. de euct.* Sed etiam si tradita non sit, ad emptorem pertinet, ita vt quamuis res perierit de pretio soluendo recte conueniatur. *l. 5. §. 1. ff. de resc. vend. l. 7. & seqq. l. 11. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 1. 4. 5. 6. C. eod. l. 34. §. pen. de cont. emp. l. fin. ff. de cond. ob caus. l. sicut. C. de act. empt. & §. cum autem Inst. de empt.* Id quid eam videtur habere rationem quod contractus hic vtriusque ineatur contrahentium causa, in quibus non nisi dolus & culpa præstatur *l. 5. §. 2. commod. l. 23. de R. I.* Alias sane ex regula res perit suo domino *l. 8. §. 12. quib. mod. pign. vel hy. l. 80. de furt.* contrarium dicendum foret, cum venditor rei nondum traditæ maneat dominus *Giph. ad §. 3. Inst. h. t.* Planè posteriori casu h. e. quando res perijt si venditor aduersus emptorem agat de pretio rei venditæ superdictæ nullo eius culpa aut dolo: poterit emptor excipere, quod ea pecunia qua de agi-

tur: petatur pro ea re quæ tradita non est: *Vid. Hort. ad pr. Inst. de vi bon. rap. p. 383. in med.* quod tamen ita verum puto si non prius rem obtulerit venditor.

74. Dantur utique exceptiones in quibus prædicta regula fallit v. g. si venditio sit conditionalis, antequam enim conditio existat, periculum est venditoris, post euentum eius est emptoris *l. 3. l. 35. §. 4. ff. de contr. empt.* Item si venditio sub alternatione facta, puta si electio sit aut venditoris, aut emptoris. Nam periculum priori casu ad venditorem, etiam re perempta, posteriori ad emptorem pertinet *l. 34. §. 6. ff. de contr. empt. simile in l. 10. §. vlt. de iur. dot. l. 32. pr. ff. de cond. indeb. l. 95. pr. & §. 1. ff. de solut.* Quod si tamen vtraque res sine culpa, vel venditoris, vel emptoris periret, hoc casu nihil ominus pretium numerare cogitur. Prior enim venditori, posterior emptori perit *d. §. 6.* Sunt & alij casus in quibus exceptio locum habet, puta in rebus quæ pondere, numero & mensura constant *l. 35. §. 5. h. t. l. 2. de per. & comm. rei vend.* Et in summa octo facit *Nicas. ad d. §. 3. Inst. h. t.* quos tamen ad tres reducit *Giphan. ibid.* eosque sub triplici distinctione completitur.

75. Hæc de iure communi, cui per pacta contrahentes derogant, ita ut emptor non sed venditor damnum vel periculum sustineat *l. 10. ff. de per. rei vend.* Item si per venditorem stetit, ut res interiret, tunc ipsius, si per emptorem tunc huius si per vtramque posterior mora nocebit *l. 17. ff. de per. & comm. rei vend.* nisi venditor sit in dolo *l. 13. §. 16. ff. de act. empt.*

76. Nam in vniuersum sciendum venditorem de dolo & lata culpa, non vero de casu vel damno fatali teneri *l. 23. ff. de R. I. l. 5. §. 2. commod. l. 11. de per. & comm. rei vend.*

77. Emptio porro & venditio semel perfecta rescindi non debet, ne principali quidem rescripto *l. 3. C. de resc. vend.* Etiam si quis arrhas datas amittere vel duplicatas restituere velit *§. 1. Inst. de empt. l. 17. de fid. instrum. Gabr. Muda. h. t. in explic. l. 35. in pr. n. 4. V Vesenb. pa. de contr. empt. n. 9. Bach. in nos. ad disput. 28th. 8. lit. 6. & in comm. Inst. in pr. h. t.* Et hoc regulariter verum est.

78. Nam interdum dissoluitur, uti pacto & mutuo consensu, si scilicet res adhuc integra *l. 57. ff. de pact. l. 2. ff. de resc. vend. l. 1. & 2. C. quand. licet ab empt. l. pen. de pact.* In tantum ut etiam si arrha de pretio soluenda data, aut fideiussor de re tradenda acceptus, aut denique alio modo cautum tamen dissoluatur *l. 3. ff. de resc. vend. l. 95. §. fin. ff. de solut. l. 14. de act. empt.*

79. Secundò rescinditur propter dolum incidentem, ut supra dictum, quo pertinet casus *l. si quos C. de resc. vend. l. 3. C. de iur. fisc.* Item *l. fin. C. de resc. vend.*

80. Tertio quoque rescinditur sententia iudicis, si alteruter contrahentium ultra dimidium iusti pretij læsus fuerit *l. 2. C. de resc. vend.* Veluti ven-

venditor rem valentem 100. vendiderit minus 50. & si emptor rem valentem emerit 41. Quam computationem Cam. Imp. Assessorum calculo refert *Mynsig. cent. . O. 7. n. 4.* Sanè beneficium hoc æque emptori circumvento ac venditori competere, persuasum habeo.

81. Rescinditur autem hic contractus *ex h. l. 2.* siue res mobilis siue immobilis sit vendita *Penell. ad d. l. 2. c. r. n. 17. Pac. axiom. 398. memb. 5.* & quidem actione contractus vt bene probat *Bach. ad Tr. v. 2. D. 2. th. 9. lit. C. Confer. Costal ad tit. de cond. ex leg.* Nisi quis sciens verum rei pretium nihilominus tali pretio vendidisset vel emisset.

82. Et quidem ita rescinditur vt resolutio iure dantis resoluatur etiam ius accipientis, & contra. Proinde si pignus ab emptore in re sibi tradita alij constitutum, per hanc extinguitur rescissionem *l. 40. §. vlt. ff. de pig. act. l. 4. §. 3. ff. de in diem addict. l. 31. de pig. cum simul. Bald. ad d. l. 2. n. 42. Castrens. ibid. n. 11. Negusant. de pignor. 1. memb. 5. part. n. 43.* Fructus tamen perceptos emptor restituere non tenetur, ideò, quia rei traditæ interim dominus fuit & alter pretio est usus *Myns. cent. 4. Obs. 73. Gomes. 2. V. R. n. 24.*

83. Ex eo porro quod actionem ex contractu competere diximus inferitur triginta annos hoc beneficium læso durare *Vvesenb. pa. de resc. vend. n. 6. Arumæ exerc. 14. th. 8.* Il'udque contra tertium possessorem non concedi.

84. Quartò venditio quoque resoluitur Redhibitione. Quæ duplici ex causa fieri solet, ex reticentia venditoris, eiusque dicto vel promisso: Si scilicet morbum vel vitium, quod latebat reticuit, vel falso quid affirmavit vel negavit, *de qua adatur t. t. ff. de adil. edict. ibid. Cuiac. & Vvesenb. pa. Donell. 13. comm. 3.* Nam mei instituti non est omnia hic tractare.

85. Et hi ferè sunt modi contractum emptionis rescindentes. Enim verò ob modicam læsionem rescindi non debet. Licet enim contrahentibus in pretio naturaliter se decipere *l. 16. §. pen. ff. de minor. l. 22. ff. locat.* quod in foro conscientia tamen, circumuenientem non excusat: Planè etsi in foro, *vt loquuntur*, soli circumventionis termini *per l. 2. C. de resc. vend.* sunt coarctati, circumventionem tamen ipsam sublatam esse nemo facilè tuebitur? Certè non minus opus habet vitæ sustentatio mercatura, quam cibo, quam potu *arg. l. 1. ff. de contr. empt.* Igitur non inutiliter permittitur circumventio, vt scilicet venditor carè vendat, emptor quam minimo emat (*vt Cuiac. interpretatur.*)

86. Porro contractus rite perfectus obligationem producit in emptore ad pretium soluendum, & quidem ipsum venditorem dominum pretij faciendum *l. fin. ff. de condict. caus. dat. l. 1. ff. de rer. permut. l. si seruus. C. de act. empt. l. 11. §. 2. ff. eod.* Sed non ante venditor pretium aut cum effectu petere potest, quam emptori mercem tradiderit, vel abstulerit *l. 25. ff. de act. empt. l. 5. §. 4. ff. de dol. except. Cuiac. 23. O. 15.* Nisi quis iactum retis emerit à piscatore, aut indaginem plagis positus à venatore, vel pantheram ab aucupe:
tunc

tunc enim etiam si nihil ad emptorem peruenerit, pretium nihilominus venditori præstare necesse habebit. *l. 11. §. fin. ff. de act. empt.* quod iam supra quoque notauimus.

87. Venditorem verè abligat ad rem tradendam §. *alia autem Inst. de donat. §. sed certum Inst. de empt. l. 11. §. 2. & 7. ff. de act. l. 30. §. 1. l. 46. ff. eod.* nisi tradendi facultatem non habeat, tunc enim interesse soluere tenetur *d. l. 11. §. 2. l. 1. ff. de act. empt. l. 4. l. 10. l. 22. C. eod.* Interesse est hic utilitas, quæ emptori abest.

88. Non tamen tenetur dominium in emptorem transferre *arg. l. 25. §. fin. ff. de contr. empt.* nisi habeat, tunc enim quia dominium vendidit, illud tradere tenetur: nam si alia sit contrahentium intentio, non potest videri res vendita. *80. §. fin. ff. h. t.*

89. Traditio autem non aliter rei venditæ transfert dominium, quam si vacua simul transferatur possessio, vt fieri debet *l. 2. & 3. ff. de act. empt. l. 8. C. eod. l. 11. de probat. l. 13. de distract. pign. Iason in §. actionum n. 141. Inst. de act. Dom. Card. Tusc. pract. conclus. lit. V. concl. 54 n. 1. & seqq.*

90. Quamuis verò venditor dominus sit & tradat ex hac causa rem venditam, interdum tamen dominium translatum non censetur. Et quia Venditor dominus sub spe futuræ numerationis & sic quasi sub conditione emptori rem tradere voluisse præsumitur, inde etiam si ex causa venditionis rem de qua tradenda conuenerat, tradiderit, dominium tamen pretij non soluto non transfertisse censetur: Ideoque res in eius dominio manebit §. *vendita Inst. de rer. diuis. l. 19. l. 53 ff. de contr. empt. l. 5. §. pen. ff. de tribut. act.* nec emptoris fiet, venditor etiam concursu creditorum præferendus est & rem vindicare non prohibetur. *l. 4. ff. de pig. act. Geil 2. O. 15. n. 4.*

91. Nisi forsan fidem de pretio habuerit, vt si fideiussorem vel pignora accepit, vel tempus ad soluendum concessit *d. d. ll.* In dubio verò si venditor fiduciam hanc præ se non fert ex facto traditionis fidem habuisse non præsumitur. *Vvesenb. pa. de contr. empt. n. 13.*

92. Licet autem venditor non teneatur emptorem rei venditæ dominum facere, emptor tamen indemnus est per euictionis præstationem *t. t. ff. & C. de euict.* quæ ex naturâ huius contractus est *l. 6. C. de euict. l. 60. ff. eod. Vvesenb. pa. n. 2. Caballin. in tract. de euict. §. 4. n. 35. Heig. 1. q. 36. n. 2.* Usque adeo vt si pro parte res euincatur emptor de euictione partis agere possit *Bald. in l. 1. C. d. t. Bart. in d. l. 1. & l. 36. ff. eod. Mynsig. 1. O. 56. n. 2.*

93. Huius enim intuitu venditor emptionem quoad rem venditam defendere cogitur in foro rei sc. conuenti *l. 49. ff. de iud. l. 1. C. vbi in rem act.* Et si res euicta fuerit, tenetur ipsi soluere æstimationem rei, vt fuit empta, deinde interesse, quanti scilicet, interest rem non esse euictam *l. 11. §. fin. l. 43 in fin. ff. de act. empt. l. 60. l. 70. l. 74. ff. de euict.* idque actione empti vel stipulatione duplæ, si illa accessit *dd. ll. & t. t. ff. de euict.*

94. Quam ipsam tamen euictionem venditor non tenebitur præstare si quis

quis sciens rem alienam à se emerit *l. 27. C. de euidt.* adeo ut hoc casu ne quidem pretium repeti possit, nisi pactus sit de eo *d. l. 27.* Sed nec illo casu tenetur venditor si emptor litem sibi moueri, ei in tempore non denunciauerit *l. 55. §. 1. ff. de euidt. l. 18. l. 21. C. de euidt.* ut nec quando culpa emptoris *l. 27. ff. de euidt.* vel iniuria aut violentia res ablata est *l. fin. C. de act. empt. l. si ff. de euidt.* Alios casus vid. *VVesenb. pa. de euidt. n. 10.*

95. Atque ita pretij solutione & rei venditæ traditione, emptio venditio ad plenum perducitur effectum, & tollitur obligatio empti & venditi. Si verò alter ex sua parte contractum adimplente, alter cessauerit, iam obligatio hæc parit actionem, emptori quidem actionem ex empto, venditori vero ex vendito.

96. Vtraque actio est directa, nec sunt ex hoc contractu actiones contrariæ. *Oldend. class. 4. act. 1. n. 2. & 4. VVesenb. pa. de act. empt. n. 1. Arnold. ab Haersolt. in aduers. de act. act. 12. in fin.* datur enim emptori actio empti vel ex empto, venditori actio venditi, vel ex vendito, ut passim sub tit. de act. empt. videre est. Illud sciendum, non solum in nominanda actione frequentem esse eclipsin, sed promiscuè etiã vtramuis modo emptori modo venditori attribui *arg. l. 13. §. si procurator. ff. de act. empt. l. vnic. §. si itaque C. si seru. extr. l. 36. l. 66. §. si secund. ff. de euidt. l. 11. C. de pact.*

97. Directæ inquam, sunt actiones hæc & ad contractus conseruationem tendunt. Oritur tamen & utilis ex hoc ipso contractu actio: Quando scilicet contractu irrito facto agitur ad restitutionem datorum *l. 11. §. 6 de act. empt.* aut quando dominus ex emptione procuratoris experitur *l. 13. §. si procurator ff. eod.* Et si qui casus similes.

98. Amplius directæ actiones statim ut contractus, modo supra dicto, perfectus est, institui possunt. Nam tamen semper cum effectu, nam interdum pacta adiecta hunc impediunt. Interdum exceptio pretij non soluti, vel rei non traditæ, quibus oppositis actor repellitur *d. l. 13. §. offerri ff. de act. empt.*

99. Soluat igitur vel offerat actor id, quod debet & quidem realiter offerat, si victoriam reportare velit. Realiter inquam, nam verbalis oblatio non proficit *l. 72. ibique Dd. ff. de solut.*

100. Ex quibus patet rectè à Doctoribus ad hoc ut efficax competere possit actio, tria cuiuslibet actionis requisita statui. Et quidem in actione empti 1. rem esse emptam 2. pretium esse solutum vel oblatum 3. rem non esse traditam. In actione venditi 1. rem esse venditam 2. traditam 3. pretium vel totum, vel pro parte non esse solutum.

101. Datur porro actio empti emptori eiusque hæredi contra venditorem, eiusque hæredem *l. 11. ff. de act. empt. l. 37. ff. eod. Sich. C. h. t. in Rubr. n. 2. ibid. Azo in n. 1.* Et directæ quidem, si ipse actor, aut is cuius actor hæres factus est, emerit, utilitas verò domino datur si procurator emerit, ut supra *th. 97. dictum.*

102. Et datur primo vt rei venditæ possessio vacua tradatur *l. 2. §. 1. & ibi Bart. ff. eod. l. 8. C. eod. vt supra.* quam si venditor tradere non possit, vel in mora sit, vel procurator recuset, ad interesse eadem competit actio, si scilicet actor posterioribus casibus hoc maluerit, *per alleg. th.*

103. Datur etiam secundò ad fructus, partus & accessiones rei venditæ, quæ factæ sunt à tempore contractus *l. 13. §. si fructibus ff. de act. empt. l. 13. l. pen. C. eod.* & quidem ad omne commodum, quod post perfectam venditionem rei venditæ accessit, quod non per omnia obtinet quando contractus quidem suo genere perfectus fuit: sed postea recissus est: *vt monuimus sup. thes. 72.*

104. Tertio quoque datur ad id, quod emptori dolo culpæue venditoris abest, quicquid ex bona fide præstari æquum est, quicquid naturaliter inest & quicquid pactis comprehensum est. *l. 11. in pr. l. 72. l. 6. §. 1. ff. de contr. empt. l. 2. §. 3. ff. de O. & A. Bart. d. l. 11. pr. n. 2. 3. Azo in Sum. C. ht. n. 20.*

105. Cui cosequens est venditorem, quando rei venditæ onus, puta seruitutem celauit, iure posse conueniri *l. 1. §. 1. ff. de act. empt.* Hoc enim celandi genus certe non aperti, non ingenui, non iusti non viri boni sed versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri hominis est *Cic. lib. 3. Offic. sect. 57.* Sed & ad interesse, quando res vendita sub promissa & debita mensura non est tradita, hac actione idem tenerur venditor *l. 2. pr. l. 4. §. 1. ff. h. t.* Eademque pro euictione rei venditæ datur, *de qua supra.*

106. Denique datur actio hæc ad id, vt venditor fines fundi venditi mōstret & instrumenta exhibeat *l. 48. ff. h. t.* Quomodo & utilis quoque emptori datur actio pro repetendo eo quod datum est si mutuo dissensu solutus sit contractus *l. 11. §. 6. de act. empt.*

107. Econtra datur venditori eiusque hæredibus actio venditi aduersus emptorem eiusque hæredes *l. 13. §. 19. ff. de act. empt. Sich. in Rubr. n. 2. C. h. t. Azo d. t. n. 39.* Directa scilicet, nam utilis quoque datur domino ex venditione procuratoris *d. l. 13. §. 25.*

108. Datur autem I. ad solutionem pretij, vel totius si nihil est solutum, vel partis, que restat *l. 13. §. 19. ff. de act. empt. l. 5. C. eod.* Et pretium vsuræ à tempore moræ sequuntur, quæ ex re ipsa statim post traditionem rei venditæ incipit & currit pro pretij quantitate, quæ soluenda restat *d. l. 13. §. 20. l. 3. C. eod. l. 5. C. de pact. inter empt.*

109. Secundò datur ad id vt emptor tollat rem, aut præstet quod interest *l. 1. §. licet. ff. de peric. & comm. l. 9. ff. de act. empt.*

110. Tertio ad sumptus in rem venditam factos restituendos *d. l. 13. §. 22. l. pen. C. eod.* Si modo bona fide facti sint. *d. l. pen. & post venditionem celebratam ibid. & ante traditionem d. §. 22.*

111. Quarto datur ad id, vt reddat emptor quod plus debito à venditore tradi-

traditum fuit. Sed de omnibus harum actionum præstationibus hic tractare nostri non est instituti. Veniamus ad alia.

112. Hactenus de contractu ipso. Sequuntur accessoria, seu pacta quæ adijci contractui huic solent: Hæc pro varia contrahentium voluntate variant. Et in summa, vel in continenti, vel ex intervallo adijciuntur, vel circa substantiam, vel circa adminicula emptionis versantur, vel detrahunt, vel adijciunt aliquid contractui, vel insunt ex parte actoris ad actionem extendendam, vel ex parte emptoris, ut pariant exceptionem ad actionem imminuendam. De quibus vid. *l. 72. vbi Dd. præsertim verò Coras. Cont. & Hortens. de contr. emp. & l. 7. §. 5. de pact.* Sed cum aliqua sint pacta quorum frequentissima inter contrahentes solet esse adiectio, ideò omisiss reliquis breuiter & quasi subsultim ista tantum percurremus. Et primitus occurrit.

113. Addictio in diem, quæ fieri potest, vel purè hoc modo ut oblata meliori intra certum tempus conditione ab emptione recedatur, vel sub conditione, ita ut consummetur emptio, nisi melior conditio intra hunc vel illum diem offeratur. *l. 1. l. 2. & t. t. ff. de in diem addict.* Fusius de pacto hoc tractando vid. *Francis. Card. Mant. de tac. & amb. c. 6. t. 28.*

114. Lex quoque commissoria inter pacta emptionis non postremum occupat locum. Ea cauetur, ut nisi pretium destinato solvatur die, res fiat inempta *t. t. ff. ad L. Commis.* Qualis emptio pura est & magis sub conditione resoluitur *l. 1. d. t.* Commissa tamen pactio in arbitrio erit venditoris, an ea uti velit, an verò ab inuito etiam emptore pretium petere *Vvesenb. pa. hic.*

115. Huc etiam pactum de retrouendo seu redimendo pertinet, quod olim fiducia dicebatur ut *Liu. lib. 2. de bell. Maced. & Boeti. lib. 6. Top. docent.* Eoque continetur ut refuso, quandocunque vel intra certum tempus pretio res venditori ab emptore restituatur *l. 2. C. de pact. int. empt. Francis. Zoanett. tract. de empt. sub pact. de retrouend.* Quod pactum tamen non impedit dominij translationem *Treutl. disp. 28. th. 10. vol. 1. lit. A.* Unde fructus emptor suos facit tanquam dominus è re propria prouenientes.

116. Sed ista obtinent si certo tempore redemptioni præstituto venditor intra illud egerit. Certè post illud ad retrouenditionem agens non audietur *arg. l. 41. §. 12. ff. de fidei lib. l. serie §. 4. ff. de excus. tut.* At si indefinitè pactum conceptum, vel verbo, quandocunque quocunque tempore, putant nullo tempore, nequidem ceterum annorum curriculo hæc extinguere actionem: contrarium mihi cum *Bach. in not. ad Treutl. disp. 28. th. 10. lit. A.* placet, nempe solis 30. annis tam huic, quam alijs actionibus præscribi *l. 3. C. de 30. vel 40. ann. præsc. l. 1. §. 1. C. de annal. præscript.*

117. Ex hoc porro pacto adiecto actio nascitur personalis *d. l. 2. Myns. 6. O. 69. Gail. 2. O. 16. n. 3. Cuiac ad African. in l. 24. de præscript. verb. quæ transitoria est in hæredes Gail. O. 2. n. 4. 5. Tiraquel. de retract. conu. §. 1. gl. 6. 5. 10. & seqq. Hartm. 1. Epist. 1. q. 21. n. 4. & cessibilis seu alienabilis quoque in*
extra-

extraneos l. 1. C. de nouat. nisi fraus vel simulatio adsit l. 22. & seq. C. mand.

118. Quia verò actio personalis ex hoc pacto oritur, ideo venditor rem ab emptore alij traditam vindicare nequit, sed actione ex vendito ab emptore, id quod interest petere & consequi debet d. l. 2. Gail. O. 16. n. 4. Myns. d. O. 69. n. 2. & 6. & O. seq. n. 18. Vbi satis innuit ita in Camera iudicari VVes. Consil. 39. n. 6. Fichard. vol. 2. Consil. 40. n. 16. & seqq.

116. Sed iam portum video, idcirco subducenda ex vasto hoc huius materiae Oceano nauis erit: si prius vnicam non adeò à præcedentibus alienam huc mouero quæstionem. An scilicet si quis à duobus fundum indiuisim emerit, teneatur vni parti reuendere propter pactum prædictum appositum? Quod nego, nam vnus fuit contractus & tacitè id actum videtur, vt vel totus reuenderetur fundus, vel totus retineretur l. 7. S. 1. ff. de contr. empt. l. 19. ff. de ping. arg. l. 77. S. 1. ff. de leg. 2. Sed subsisto. Plura quidem materiae huius exegerat cum dignitas, tum amplitudo: sed papellarum exiguitas & temporis angustia his me quasi circumscripsit cancellis.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ

I.

Equo Vendito debetur & sella itemque capistrum & Ornamenta reliqua, quibus equus ornatus fuit l. 38. in pr. ff. de edil. edict. nisi vel conuentio contrahentium vel consuetudo loci contrarium suadeat Gomez 2. V. R. 2. n. 15.

II.

An vendita vacca vel equa, veniat pullus, vel vitulus? D.

III.

An vendita sylua, censeantur vendita ligna ibi incisa?

Respond. Quod non

IV.


Pulchra & sæpè etiam agitata quæstio est, an, qui vendit syluam, in qua ius venandi habet, id quoque vna cum sylua videatur vendidisse, quamuis nulla eius mentio facta fuerit? *Distinctione rem expediendam puto.*


X 2874408

94 A 7386

VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



PINÆ,
 ope Augustinianos.

tiendam proponit
 rico - Francus.
 . Sept.

o, I. V. Doctore, &
 S. LL. Licentiato,
 & Fisco.

Viris, ac DD.

xilio,

ONE
 TIONE.

VRIDICA
 TAVA,

